LEGES
COMMUNIS MENSÆ, IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI.

I.



Accessurus ad Mensam communem profiteatur nomen suum apud RECTOREM, accepturus schedulam, qua doceat Oeconomum, Jus Convictorii Publici se rite impetrasse. Aliter nemo recipietur.

II.

Qui uti frui Convictorio volunt, intra IV. aut VI. Hebdomadas, prout loca, unde oriundi, aut propiora, vicina Academiæ, aut remota longius ab ea fuerint, documento, fide digno, a Magistratu & Pastore istius loci signato subscriptoque edoceant, se aut Parentes suos adeo egenos esse, ut absque beneficio Mensæ Communis in hac Academia, Studiorum gratia, commorari non possint.

III.

Iidem, ut decreti Visitationis tenor flagitat, non tantum admoneantur, ut sedulo ac diligenter Lectionibus & Disputationibus publicis intersint, verum etiam spatiis singulis trimestribus, Examen Decanorum 4. Facultatum, ut vocantur, subeant, pro ratione Studii Theologici, Juridici, Medici, aut Philosophici, cui quisque se addixit.

IV.

Posteaquam Examen sustinuerunt, singuli a Decano Censuram, de Profectibus testimonium perhibentem, petant, eamque ad Rectorem Academiæ perferant, ut eos, qui male steterunt, ad diligentiam emendandosque defectus adhortetur; aut, si censura in sequentibus Examinibus de iis emendatis non testificetur, beneficio mensæ Communis eos penitus arceat.

V.

Qui nomen dedit huic Contubernio, sub ipso aditu in antecessum solvat Oeconomo, quantum in unam hebdomada pretii numerari, pro obsonio solet, facturus idem deinceps, etiam singulis Veneris, aut Saturni diebus; cui mox a Locatore indicabitur, cui mensæ die Solis assidere debeat. Qui locum sibi assignatum occupare renuerit, a Convictorio removeatur.

VI.

Inspectores Convictorii, & si qui alii Rectoris loco affuerint, quisque reverenter habeat, iisque querelas, si quas habet, circa tumultum, aut cujusquam molestiam exponat; Oeconomum vero, prout Hospitem ac Patrem decet, honoret, nec ipsum familiamque ejus contumelia aut probro afficiat. Qui aliter fecerit, eas incurret pœnas, quibus cæteri, a simili petulantia, absterreantur.

VII.

Convictores Communis Mensæ ad capiendum cibum uno atque eodem tempo-

(86.

tempore conveniant, citra tumultum ac strepitum simul omnes considеant: Mane hora XI. Vesperi autem hora V. Post cibum sumptum quilibet modeste & sine clamore præcipue in plateis, & circa vesperam, discedat ad sua. Si quis ultra constitutum temporis remanserit, ex arbitrio Rectoris puniatur: Si vero famulo, etiam finito prandio & cœna cœnaculum claudenti, molestus fuerit, gravissimam animadversionem nostram incurret.

VIII.

Inter epulandum Anagnostes ordinarius, mane quidem SS. Biblia, vesperi Sleidani Historiam, eaque absoluta, Philippi Chronica, & ita hos duos alternatim præleget, eamque lectionem solenni precationis formula, quæ vota pro Serenissl. & Clementissl. Rege ac Electore nostro FRIDERICO AUGUSTO, Sax. Juliæ, Cliviæ, Montiumque, Angriæ item & Westphaliæ Duce, &c. &c. pro inclyta Conjuge ac Sobole, Nepotibusque Celsissimis, totaque adeo domo Saxonica, pro Ecclesia, Republ. & Academia, complectitur, claudet. Si quis, inter legendum, strepitus, convitia, ut rixas excitare ausus fuerit, a Rectore exclusione a Mensa communi, carcere, aut graviore pœna afficietur.

IX.

Prandia pariter & cœnæ tum inchoentur precibus, tum finiantur, quas quisque, præeunte Pastore, aperto capite tacitus secum & bene compositus peraget. Qui id facere neglexerit, aut inter orandum riserit, vel alios ad ridendum commoverit, mulctabitur, 1. Gr.

X.

Qui primum in Convictorium aut Mensæ consortium recipitur, in usum mensæ 1. Gr. solvat.

XI.

Singulæ mensæ suum sibi constitutum Seniorem, suum quoque Judicem, suum Pastorem, quem vocant, suum denique Custodem habeant. Senior perpetuus erit, quamdiu mensæ assidet. Judices ordinentur singulis diebus Dominicis, juxta seriem considentium, atque eo munere quisque per integram septimanam defungatur. Pastoris & Custodis vices ἐφήμεροι erunt s. diariæ. Et Pastoris quidem Senior die Dominico primum obeat, quem cæteri deinde ordine sequentur; ita, ut elapsis quater denis diebus idem Pastoris locus die Domin. ad Seniorem mensæ redeat. Qui proximo loco sequitur Pastorem, Custos erit.

XII.

Seniores munus esto, totius mensæ curam gerere, Convictores ad pietatem, modestiam, & concordiam adhortari, communes querelas, aut si quæ vitia enormia irrepserint, ad Inspectorem, vel, si opus fuerit, ad Rectorem deferre, denique omnia ea, quæ ad servandam tuendamque disciplinam faciunt, procurare, & quæ contra eam faciunt, prohibere.

XIII.

Judicis partes sunt, in mores Convictorum, juxta præscriptum Legum, animadvertere, pecuniam, quam quisque aut ratione muneris, quod sustinet, ac pro accessu ad mensam, vel propter delictum, quod amisit, vel ex symbolis debet, mature exigere, eam fideliter servare, nec aliter, quam, prout Leges præscribunt, impendere, & die Saturni successori suo, depositis rationibus, sine mora tradere, eandem pœnam subiturus, si contra leges quicquam admiserit, aut officium neglexerit, quam alius meruerat: moram vero in tradendo, duplo luat. Nemo autem munus hoc in se suscipere tenebitur, nisi quatuor integris septimanis Convictorio usus fuerit.

XIV.

Si leve aliquod vitium in scribendo, ex imprudentia irrepserit, impune esto. Si vero



vero insignis macula, aut enorme vitium a Judice commissum fuerit, solvantur pro eo 3. Pf.

XV.

Pastoris est, ante posita fercula, benedicere precibus, & post sumptum cibum Deo agere gratias, idque sic temperata voce, ut mensæ vicinæ accubitores non turbentur. Si id facere neglexerit, mulctabitur. 2. Gr.

XVI.

Custodis officium in eo positum est, ut diebus Dominicis, aut quoties alias per leges licitum est, cerevisiam reliquis infundat.

XVII.

Panes in partes illi dissecent & carnes dividant, qui proximo loco antecedunt Pastorem. Cum reliqui omnes accepere dimensum, quod reliquum est, sibi sumant. Si id facere, aut ordinem servare renuerint, pendant 3. Pf.

XVIII.

In sumendis panibus & carnibus primas Pastor teneat, secundas, qui proximus assidet, quo deinde ordine reliqui sequuntur. Qui ante Pastorem in patinam advolabit, pendet 6. Pf. Qui ante cæteros, turbato ordine, 3. Pf.

XXIX.

De panibus & carnibus, quod quis semel apprehenderit, sibi teneat, reliquum intactum relinquat. Transgressor pendat 3. Pf.

XX.

In comedendis pulmentis cujuscunque generis, quisque id, quod suo loco repositum est, capiat. Si quis excedat fines suos, atque ex alieno loco id, quod pinguius atque dapsilius est, ad se derivet, puniatur 3. Pf.

XXI.

De radicibus petroselini, uvis passis, aut intestinorum partibus, non nisi duas simul & semel capere licebit; numerum excedens, solvat 3. Pf.

XXII.

Bolum justo majorem in os si quis ingerat, aut ingestum rustice nimis deglutiat, pendat 3. Pf.

XIII.

Tuburcinans cibum, id est, devorans raptim, aut nondum, eo manducato manum admovens patinæ, quod utrumque incivili perquam est, mulctetur 3. Pf.

XXIV.

Qui cum vicino suo simul in patinam irruerit, is luet 3. Pf.

XXV.

Ex publico loco qui asportare fercula in privata symposia ausi fuerint, mensa arcebuntur.

XXVI.

Qui inter prandendum aut cœnandum nomen Domni profanaverit, aut execrationes & maledictiones eructaverit, vel Scriptura Sacra manefeste abusus fuerit, mulctabitur 2. Gr. Verba tamen & phrases vulgo usitatas, etsi in Scriptura quoque reperiantur, quales sunt: GOtt grüsse euch: item, wo steht es geschrieben? & similes, impune adhibere licebit.

XXVII.

Si quis illotis ac parum mundis manibus ad mensam accedat, aut inter edendum committat aliquid, quo nauseam moveat reliquis, solvat 3. Pf.

XXVIII.

Si quis mappam maculaverit, pendet 3. Pf. Si vero disciderit, orbes item vel patinas studiose fregerit, aut alia, quæ ad mensæ instrumentum pertinent, corruperit, is damnum præstare, & mulctæ præterea loco 6. Pf. solvere obstrictus esto.

XXIX.

XXIX.

Qui vitrum cerevisia plenum everterit, dabit 3. Pf.

XXX.

Salem in orbe suo relinquens, nec in debitum reponens locum, luet 3. Pf.

XXXI.

Qui manibus, pedibus, orbibus cultrisque exploserit alios, vel strepitum industria fecerit, pendet 2. Gr.

XXXII.

Qui alium probrosis & inhonestis nominibus, vel alia injuria affecerit, mulctabitur 2. Gr.

XXXIII.

Symbolæ, seu pecuniæ ad communem mensæ usum a Convictoribus, ex æquo conferantur, nec ab uno plus, ab altero minus exigatur.

XXXIV.

Si quando cerevisiæ aliquid universo donantur Convictorio, omnino habenda est æquitatis ratio, ne plus minusve in istam, ac istam, quam alias mensas, dispensetur. Id cum exhaustum fuerit, modeste ac decenter quisque abeat. Nam ulteriorem compotationem instituere, & esse de symbolis, prorsus illicitum esto.

XXXV.

Permittimus quidem adhuc hospites, sed modum servari, neminique id grave esse omnino volumus. Adducens hospitem ad coëmendam cerevisiam, 4. Gr. numeret. Reliqui ab omni impensa immunes sunto.

XXXVI.

Herbæ Nicotianæ usus, aleæ & chartarum lusus, convitia, rixæ, digladiationes, adjurationes, jubila, vociferationes, convictorum exagitationes, explosiones, & similia, prorsus vetita sunto. Si quis secus quid admiserit, a Seniore mensæ primum admoneamur, si non resipiscat, Inspectori, ab hoc Rectori, indicabitur, puniendus vel exclusione a Convictorio, vel pro qualitate delicti, Relegatione.

XXXVII.

Qui e Convictoribus aut confessi, aut convicti in judicio fuerint, quod in ædibus aut plateis inconditos clamores atque boatus ediderint, aut grassationibus nocturnis operam dederint, aut alioqui contra Leges Academicas, quæ ad disciplinæ publicæ vigorem conservandum pertinent, peccaverint, extemplo Mensæ communis beneficio priventur.

XXXVIII.

Tandem id omnes, qui in Convictorium recipiuntur, cogitare oportet, locum hunc sacrum quodammodo ac religiosum esse, adeoque omnem spurcitiem atque obscœnitatem, omnem lasciviam ac levitatem, & quicquid alias contra bonos mores admitti solet, procul esse, & exulare hinc penitus debere.

XXXIX.

His itaque, nec aliis legibus vivere volumus Mensæ Communis Convictores. Quare reliquas consvetudines & traditiones non scriptas, quas vocant, abrogamus. Integrum tamen nobis servamus, quoties visum fuerit, aut mores Convictorum id postulaverint (quo de nos admoneri, Convictoribus ipsis, aut Mensarum Senioribus, & Inspectoribus liberum esto;) Leges hasce mutare, refigere, augere, aut penitus abrogare.

SOLI DEO GLORIA!